

Q. B. V.

THESES MISCÉLLÆ PHILOSOPHICÆ,

Quas,

*Cum consensu ampliss. facultat. philosoph. in Reg.
Academia Aboënsi,*

Sub MODERAMINE

VIRI CL.

A L G O T H I A. S C A R I N,

Hist. & phil. mor. Prof. reg. & ord.

ad diem XIII. Aprilis Anni MDCCLXV,
publico examini subjicit

GABRIEL MELARTOPOEUS

AUSTRO-FINLANDUS

L. H. Q. S.

ABOÆ, Excud. JOH. KIEMPE, Reg. Ac. Typ.

G. Bage

G. Wetterwyl

Sacræ Cæsareæ Moscovitarum Majestatis
FIDELISSIMO VIRO,
Maxime reverendo & amplissimo

DN. CHRISTIANO MELARTOPOEO,

Ministerii Euangelici per INGRIAM & CARELIAM RUS-
SORUM PRÆSULI, utriusque ecclesiæ Viburgensis AN-
TISTITI & ARCHI-PRÆPOSITO meritissimo, Consi-
storiæ ibidem ecclesiastici PRÆSIDI gravissimo, schola-
rumque per districtum illum EPHORO adcuratissimo,
PATRONO & PATRUO optimo, carissimo.

Cum arcta mibi sanguinis Tecum, Patrue Optime, ne-
cessitas intercedat; & quantis beneficiis fidem meam, pieta-
temque perpetuo obligaveris, publice testandæ occasionem mibi in
præsens usque frustra optaverim; illuxisse demum tempus in sinu
gratulor mibi, quo pietati mea, quantulacunque ratione sati-
ficerem possum. Tu vero pauperiem, sine doce, devotionis meæ, quo
assoles, sincero animo adopta, Tuamque in posterum quog, clien-
telam mibi præsidio adesse sine. Servet Te benignissimus vita &
rerum omnium nostrorum ARBITER in Nestoros annos, Tuog, se-
nescenti magis magisque mortali domicilio animum targiatur
flore juvente, per multos adhuc annos vegetum & virentem,
in ecclesia orthodoxa edificationem, honestissima familie Decus,
euonymusque, quos in ore Tuo esse volaisti, gaudium atque
emolumentum!

Maxime Reverendi & Amplissimi Nominis Tui

Cultor Observantissimus

GABRIEL MELARTOPOEUS.

Thef. I.

SIc ut omne possibile, quod nullum se superius genus agnoscit, necessarium est, ita ex illis, quæ sub aliqua notione tanquam genera inferiora vel species comprehenduntur, notio contingentiae deducitur.

Thef. II.

Cum quæ enti finito inesse possunt, non nisi successivi, eaque non propria, sed aliena virtute inexistent, quis inter Ens finitum & infinitum nexus & relatio intercedat, primum est videre.

Thef. III.

Mundus itaque, qui est entium finitorum complexus, cum talis sit, ut per se neque existere, neque durare queat, nisi concursus DEI accedat, qui illum conservabit, & ad finem propositum diriget: providentia Divina in continuanda illius existentiâ, necessitas inde, luce meridianâ clarius emergit.

Thef. IV.

SIc ut modum creationis mundi nescimus, ita actum illius non præcise ab intellectu, sed voluntate Divina dependere afferimus.

Thef. V.

Ratio, cur *Spinoza* inciderit in impiam & maxime abominabilem opinionem, qua machinam hujus

4 universi, & quæ in illo continentur, non esse diversas a DEO substantias, verum eandem cum eo esse dixit, fuisse videtur, quod cum modum creationis perspicere non posse, proinde impossibilem eandem quoque existimaverit.

Thef. VI.

Ens simplex de suo nihil cum altero communicare potest.

Thef. VII.

Existentibus compositis, existere debent monades, ex quibus composita suam habeant substantialitatem.

Thef. VIII.

Anima brutorum, seu potentiae rationis inopes, soluto earum cum corpore organico nexu, moriuntur, aut, si cum veteribus loqui velis, rediguntur in pristinam hujus universi conditionem.

Thef. IX.

In materia, figura, motu atque situs adest. At sensus, conscientia, consilium a figura situ atque motu proficisci nequit, igitur sit aliquid, necesse est, in homine a materia prorsus separari, quod animam vocamus.

Thef. X.

Imortalitas animæ, unde præcipua moralis philosophia dignatio, gentilium præstantissimis in ambiguis dogmatibus collocata fuit, & ad coercendas, intra modum vulgi cupiditates saltam, a multis inculcata.

Thef. XI.

Quod per revelationem DEI ea suppleuerit, quæ ad vitam æternam adipiscendam, ratio ignorat, inde non aliqua inter utrumque principium, contradicatio est.

5

fingenda, quasi revelatio præcepta rationi humanae contraria proponat.

Thef. XII.

PHilosophiam moralem per modum scientiæ veteres: multo pleniore vero habitu, recentiores excoluerunt.

Thef. XIII.

Regula a veteribus commendata, quæ præcipit ea à nobis fieri debere, quæ nos nostrum que statum perficiunt, adeo: quidem naturæ cuiusque insita est, ut navibus & quadrigis bene vivere amhemus. Pro moralitatis autem principio, quo minus videntari possit, modeste dissentient plurimi.

Thef. XIV.

Cum rationalitate gaudeat Atheus, legis capax est, & ideo imputationis.

Thef. XV.

Rationalitati ejusdem speciei, æquitas hominum naturalis innititur.

Thef. XVI.

Cum libertas, si nulla fuerit, in licentiam degenerare nullo negotio possit, inde Seneca summam libertatem esse parere legibus, non præter rem dixisse contendus est.

Thef. XVII.

Necessariarum & impossibilium actionum datur imputatio.

Thef. XVIII.

In societatem civilem homines natura non trahuntur.

Thef.

Thes. XIX.

Constituendarum civitatum in mundo, qui malis laborat moralibus, palmarium fundamentum est securitas.

Thes. XX.

Sine jure vitae & necis imperium concipi nequit.

Thes. XXI.

Difficile definiri potest, quænam regiminis forma optima sit cœlenda, nempe cum non una omnibus via placeat, sed diversis itineribus diversæ gentes ad bonum publicum pertendere soleant, formam imperii illam censemus optimam, quæ status vitiis urgetur minimis, & genio populi accommodatissima est.

Thes. XXII.

Sunt gentes olim & hodie, quarum, nisi beneficio servitutis, salva esse non potest respublica.

Thes. XXIII.

Sicut imbecillum illud reipublicæ corpus est censendum, ubi *Capiti* tantum non juris atque libertatis est relictum, ut possit de conservatione membrorum iudicare: ita ubi sub illustri quadam specie suæ gentisque gloriæ, illud talia machinari incipit, quæ cum alterius partis detimento manifesto conjuncta fuerint, populum universum sejungere a se posse injurias istas existimamus.

Thes. XXIV.

Quemvis cum Hobbesio non facile consenserit quisquam, quod ad eam perfectionem ascendere possit princeps, ut nulla civitati ab eodem fieri possit in-

7
juria; obstante multæ rationes tamen, cur, quod in principatu beatissimum est: *Non cogi*, eidem non adimere eivis, neque cui ipse, coërectionis generi, eundem subiectare possit.

Thes. XXV.

Cum de civis obligatione exsequendi principis sui jussa ex suo quisque principio philosophantur Hobbesius atque Pufendorfius, problematis illius nexus nodumque implicare magis, quam explicare multis non sine ratione videntur.

Thes. XXVI.

Historia vere sic dicta, præsertim politica, ad notitiam & prudentiam consequendam quam maxime inservit.

Thes. XXVII.

Ante reformationem, plus quam mille annis Svetia regis eligendi penes populum potestas erat. neque nisi seculis a memoria nostra remotissimis, itemque proximis, absolute monarchicum & hæreditarium invaluit.

Thes. XXVIII.

Etiam si absolute loquendo, nullum ex injuria metu que jus nasci concederit aliquis; idem tamen, si omnimodam libertatem non requiri dixerit in omni consensu obligationem producente, fibimet ipsi repugnare non illico dicendus est.

Thes. XXIX.

Cum principis sit, independenti jure curare ecclesiæ, h. e. rituum, rerum, atque personarum eodem pertinentium rationem habere, immo curare etiam ne qua sub specie religionis & ecclesia, nova in republika

blica existat respublica, notionem magistratus politici, quæ
a papismo est, de principe proprio minus, adæquate-
que prædicari existimaverimus.

Theſ. XXX.

ERICUS XIV, rex Svethiæ, quem cum Tiberio Romano
in ingressu, progressu & egressu, eandem omnino vita
fabulam lussisse dixeris, si non in magistrum incidisset
Calvinistam, qui eidem a puero persuaseret fiderum ne-
xui fatoque, vivendi & moriendi cauſas arcte implexas
esse, adeoque motibus illis animum & corpus suum
neutiquam resistere posse: de excelsa, quæ in puero e-
lukit, virtutis iadole sperare licebit, quod confirmata
ætate, langvine, libidine, & levitate, tanta cum præ-
sumtione non coopturus fuisset brevem imperii mo-
ram, seu uti Messenius loquitur: *isti deditus imaginatio-*
nibus, ut imminentia fata devitaret, propriam non formidasset
umbram, non sceleris sceleribus cumulasset, & ita pedecentum
in fatorum abyssum deproparasset.

S. D. G.T

